

g) In Communionem Infirmi.

Ad dubium: An servandum sit Rituale Romanum in administrando Infirmis Viatico, seu potius consuetudo, benedicendi nimirum cum Sanctissimo retrocedentem Populum extra portas Civitatis, Regionis, sive Domus infirmi, quando fertur Viaticum Agrariis?

„Ex speciali gratia servari posse consuetudinem.“

Atque ita censuit et servari posse annuit. Die 7. Aprilis 1832. n. 4685 ad 2.

h) In Depositione.

(Modus).

Irrepsit abusus, ut in nonnullis Ecclesiis Monialium Urbis in depositione SSmi. publice expositi Sacerdos primum ac separatim benedicat Monialibus in interiori earundem choro post altare vel alibi genuflexis, deinde populo in publica Ecclesia adstanti? S. C. resp.: Sacerdos sacram illam exercens functionem in quibusvis Ecclesiis Monialium ubique locorum erectis, cuiusvis sint Ordinis et Instituti (omissa speciali et separata Monialium benedictione) unicam tantum bened. interessenti populo impertiatur. n. 4372 die 11. Dec. 1773.

Instructio Clem. §. XXXI. 11 etc. 21. 22.; *Benedictio cum SS. Sacramento* (modus).

i) Dignitas benedicens.

Cf. *Benedictio Dignitar.* etc.

Primam Dignitatem non potest dare tres benedictiones cum SSmo., etiamsi celebret loco Episcopi. n. 1683 die 9. Aug. 1653.

Praepositus unica benedictione benedicat cum SSmo. n. 1696 ad 1 die 7. Mart. 1654.

Dignitates et Canonici Metrop. Urbinat. in missis et vesp. pontif. benedicendo populum cum SSmo. possunt

unicam tantum benedictionem dare. n. 4224 ad 7 die 29. Jan. 1752.

k) Episcopus benedicens.

Vd. *Bened. Episcopi cum SSmo.*

l) Genuflexio.

Vd. *Genuflexio in bened. cum SSmo.*

m) Janua Ecclesiae aperta.

Ad dubium: an liceat vel dedecet fores Ecclesiae pandere et repagula removere, ut pateat interna pars trans-euntibus per viam, dum benedicendus est populus cum SSmo.? S. C. resp.: Non decere, nisi iudicio Ordinarii, ob peculiarias circumstantias locorum, aliter permitti posse videatur citra periculum irreverentiae. n. 4591 ad 9 die 17. Sept. 1822.

Cf. *Adnotat. ad Instr. Clem.* §. VIII.; *Instructio Clem.* §. XXXIII. n. 1 etc.

n) Non in janua Ecclesiae.

Tam in processione SSmi. fieri solita qualibet 3. domin. mensis post missam cantatam, quam in processione die solemnitatis Corp. Chr. et aliis, in quibus SSmum. defertur, benedicatur populus cum SSmo. super altare in Ecclesia et non in janua; consuetudinem contrariam esse abusum. n. 3141 die 19. Julii 1687.

Ad dubium: an liceat (Cappellano Confraternit. Mortis Perusinae) in fine process. cum SSmo. in janua principali Ecclesiae benedicere populo in plateis et viis genuflexo sine licentia et interventu parochorum? S. C. resp.: Negative nisi de licentia Episcopi. num. 3911 ad 12 die 9. Julii 1718.

o) Modus.

Prohibendum esse Regularibus, ne audeant in posterum cum SS. Sacramento populo benedicere cum trina, sed unica tantum benedictione. n. 2735 die 22. Junii 1675.

Ad dubium: an sub nomine Regularium Abbates Regulares comprehendantur? S. C. resp.: Comprehendi etiam Abbates, et posse tantum dictos Abbates habentes usum Pontificalium benedicere tripliciter in Ostensione SSmi., quando exercent Pontificalia. n. 3313 die 13. Junii 1693.

Non licet Patribus Carmelitis ter benedicere populo cum SSmo. in fine missae aut in aliis functionibus. num. 3390 die 9. Julii 1696.

Non licet Abbati Monasterii s. Sepulchri Parmen. in altaribus per viam erectis ac etiam in propria Ecclesia cum SSmo. trina Crucis productione populo benedicere. n. 3729 ad 6 die 22. Aug. 1705. Idem decr. pro Carmelitis Cantalupi n. 3843 ad 3 die 21. Nov. 1711.

Ad dubium Canonici Cathedralis Colleen.: an in benedicendo populum cum SSmo. sit servandus modus infrascriptus: „Sacerdos stans ante populum Ostensorium ante pectus tenet, tum elevat illud decenti mora non supra caput sed tantum usque ad oculos et eodem modo illud demittit infra pectus, mox iterum recta illud attollit usque ad pectus et deinde ad sinistrum humerum ducit et reducit ad dexterum et rursus ante pectus reducit, ibique aliquantulum sistit quasi peracta ad omnes mundi partes cruce, eam etiam venerandam omnibus praebet, tunc gyrum perficiens, collocat Ostensorium super altare (Mich. Bauldry part. 4 c. 16 art. 3 n. 34). S. C. resp.: Si ei placet, potest observare dictum modum; sin minus, servandus est modus dispositus in Caer. L. 2, c. 33, ubi requiritur tantummodo, ut cum SSmo. Celebrans producat crucis signum super populum. n. 2776 ad 2 die 21 Mart. 1676.

Exposito humiliter S. R. C. ab Episcopo Sebenici apud Dignitates et Canonicos suae Cathedralis in exposit.

SSmi. et infra octavam Corporis Chr. fieri consuetis abusum irrepsisse, trina bened. populo benedicere, nempe in cornu Epistola, deinde Evangelii et demum in medio. S. C. resp.: Non permittat. n. 3616 die 11. Febr. 1702.

Vd. *Bened. SS. Sacramenti in Depositione.*

p) In Nocte.

Episcopus Pisaren. benedictiones cum SSmo. in ejus multiplici expositione *de nocte* fieri expresse prohibeat. n. 3284 die 2. Aug. 1692.

Vd. *Instructio Clem.* §. XXXIII. n. 1 etc. §. XXXVI. n. 6.

q) In Processione.

(Quoties).

In Processionibus, dum contingit illud poni super altaribus, quae eriguntur per viam non ad singula altaria, sed semel tantum elargiendam esse populo benedictionem in fine processionis. (Caer. Ep. lib. II. c. XXXIII. n. 27). n. 1639 die 11. Maji 1652.

Vd. *Instructio Clem.* §. XXI. n. 13. 14. 15. —

Quum Caeremoniale Episcoporum Auctoresque omnes Liturgici illius dispositionem apprime sequentes, praesertim lib. 2 cap. 33 num. 22, ritus edoceant, initio, progressu et fine Processionis solemnissimum SSmi. Corp. Christi servandos, quumque inter caetera S. R. C. ejusdem Caeremonialis dispositioni inhaerens, regulam edixerit die 11. Maji 1652, elargiendi semel tantum populo benedictionem in fine Processionis Corp. Chr., hanc eandem in ordine divini Officii pro Cathedrali et Dioecesi Volaterrana illius Rmus. Antistes, pro exacta liturgicarum rerum observantia inserendam, et eandem jussit: verumtamen cum contraria vigeat ea in Civitate et Dioecesi perantiquissima consuetudo, ut quoties Ecclesiae sive Altaria occurrant per

viam toties ibidem et supplicatio sistat, et populus, impertita benedictione, dimittatur: hinc S. R. C. suplex adiit, postulans: an potius praedicto S. R. C. Decreto, quam consuetudini sit in posterum inserviendum?

Et S. eadem C., exquisita prius alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris in scriptis sententia, typis quoque juris publici reddita, ad relationem Emi. et Rmi. D. Card. Julii Maria de Somalia S. Collegii Decani, et eidem C. Praefecti, loco Emi. et Rmi. D. Card. Cacciapiatti Relatoris absentis, respondendum censuit: „Juxta votum, nimirum: non obstante Decreto inserto in ordine Divini Officii recitandi vetustissimam consuetudinem tolerari posse, eo lamem modo, ut saltem servetur regula Caeremonialis, quod non toties pausatio fiat et benedictio elargiatur, quoties Altaria occurrant sed semel vel iterum, et Altaria per viam extracta, sint decenter ornata, et a probo Caeremoniarum Perito prius auctoritate Episcopi visitata.“ Atque ita respondit. n. 4574 die 23. Sept. 1820.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Regulam tradit Caeremoniale Episcoporum lib. 2 cap. 33 n. 22. quod in solemnitate SSmi. Corporis Christi, dum S. Eucharistia, publica indicta Supplicatione, circumfertur, liceat Episcopo in aliqua Ecclesia et super illius Altare deponere SSimum. Sacramentum et aliquantulum quiescere. Id, quod etiam permittitur, etsi non Episcopus, sed Sacerdos deferat Sacramentum, veluti declaravit S. R. C. in Albinganen. 10. Jul. 1677. Verum idem Caeremoniale duo ponit condiciones. Prima est, si longior fuerit Processio: nam si brevi ambitu concluditur, necessaria non est pausatio ad reficiendas vires. Secunda, quae magis interest: quod non passim in singulis Ecclesiis, vel ad singula Al-

taria, quae forsitan per vias constructa et ornata reperiuntur, faciendum est, sed semel tantum vel iterum, arbitrio Episcopi. Modum praeterea tenendum praescribit: et ibidem antequam discedat, thurificare (poterit) SSimum. Sacramentum et Orationem de Sacramento cantare; quin vel unum addat verbum de benedictione populo elargienda, priusquam Processio reassumatur, immo ex silentio plane arguitur, dandam non esse. Id etiam clarius colligitur ex Caeremoniali, jussu et auctoritate Benedicti XIV. edito pro Basilica Assisiensi S. Francisci cap. 10 ubi describitur ritus servandus in solemnitate SSmi. Corporis Christi, ut in Supplicatione Episcopus deferens Sacramentum ibi modo tempore quiescat. Deposito namque SSimo. Sacramento in Altaris medio cantabitur: Tantum ergo; interim Episcopus super pulvinar sericum in infimo gradu genuflexus, ac humerali velo deposito, thus imponet in thuribulo Basilicae, Sacramentum thurificabit, et Orationem de eodem Sacramento cum cantu dicet: sumat inde velum humerale, et a Diacono accipiat Sacramentum; eodemque, quo advenit, ritu, et ordine Basilica discedat Processionem prosecuturus. Quae postrema verba ad quamlibet dirimendam controversiam satis forent. Cum enim, cantata ab Episcopo Oratione, imposiloque velo humerali, ei a Diacono tradendum sit Sacramentum ad unum effectum prosequendi Processionem; et sint actus successivi et continuati, Hymnus, thurificatio, oratio, impositio veli, traditio Sacramenti, reassumptio Processionis, clarissime patet Caeremonialis Rubricam excludere benedictionem. Sed cur argumenta negativa persequimur, dum positivum non desideratur? S. R. C., quae Caeremonialis libri interpret est, id aperte declaravit. Proposito namque dubio in Monopolitana: An

in Processionibus, in quibus (per Dignitates vel Canonicos Cathedralis) defertur SSimum. Sacramentum, dum contingit illud poni super Altaribus, quae eriguntur per viam, spectet dare populo benedictionem ante eadem Altaria, Parochis vel Regularibus ea erigentibus, an potius iisdem Dignitatibus? Eadem S. C. non directe dubio respondit, verum, sensum Caeremonialis declarandum, certam regulam posuit decrevitque: servanda esse Caeremonialis praescripta, et semel tantum elargiendam esse populo benedictionem in fine Processionis? Si danda est igitur semel benedictio in fine Processionis; palam fit, non esse elargiendam, dum Sacramentum in aliquo Altari deponitur, ut interim Episcopus vel Sacerdos tantillum quiescat. Quae cum sint, scite Episcopus Volaterranus hanc regulam pro sua Dioecesi in ordine Divini Officii inserendam jussit. Sed quoniam antiquissima ibi consuetudo vigeat, et modo viget, ut quoties per vias Altaria occurrunt, toties pausatio fiat, et non nisi impertita populo Benedictione cum Sacramento, ad prosequendam Processionem Episcopus, vel Sacerdos ab Altari discedat: anceps fuit, num regulae, an consuetudini difficillime reformandae standum esset? Qua de re S. R. C. rogavit. Equidem de juris rigore strictim regula servanda esset, modusque tenendus, dum pausatio fit, quem post Nicolaum de Bralione verb. Eucharistia num. 6. et Bauldry lib. 3. cap. 33. art. 3. num. 25. insinuat Meratus ad Gavantum part. 4. tit. 12. num. 16., ac praescribit laudatum Caeremoniale pro Basilica Assisiensi. Verumtamen certum cum sit consuetudines inveteratas, quae non uno alterove in loco obtinent, sed fere ubique inductae sunt, difficillime abrupti et tolli posse, praesertim si a Praesidibus scientibus, non reclamantibus, sed tacite acquies-

centibus permissae, vel saltem non improbatas censeantur; curandum est, ut, quantum fieri potest, propius regulae conformentur, et in abusus dammandos, et eliminandos non degenerent: sapienti consilio S. R. C. hoc suo Decreto, dum inveteratam consuetudinem tolerari posse permisit, simul condiciones addidit, quibus, et decentiae consuleret, et modum arbitrio imponeret, et regulam Caeremonialis tueretur; quare hoc Decretum haberi debet nedum pro simplici responso petitioni Episcopi Volaterrani, verum etiam ut regula ubique locorum servanda.

Vide, si lubet, quae diximus ad Instructionem Clementinam de Oratione quadraginta Horarum paragr. XXI. num. 12 et sequen.

r) In Pyxide.

Vd. Instructio Clem. §. XXXVI. n. 11 etc. 14 etc. 16. 26. Benedictio (Communionem finita); Pyxis (expos etc.)

s) Quando.

Vd. Benedictio SS. Sacramenti (modus.)

Non ad Verba: Sit et Benedictio impertitur benedictio: Instructio Clem. §. XXXI. n. 21.

t) Reportato SS. Viatico.

Vd. Viaticum.

u) Coram tumultu mortuorum.

Vd. Tumulus coram exp. SSmo.

51) Suppellectil. sacr.

Vd. Bened. (param.; cum s. chrysmate; sine s. unctione).

Pyxis, Ostensorium et Corporalia, quae immediate inserviunt SS. Sacramento, debent benedici juxta formam, quae habetur in missali propria. S. R. C. 16. Novbr. 1649.

52) Triplex.

Vd. Bened. Sacerd. extra missam. (decr. n. 4782. nota.)

53) Thuris.

Vd. *Benedictio Incensi.*

54) Sine sacra unctione.

Vd. *Campanae* (bened.); *Bened.* (supellect.)

Abbat, Priores, Guardianos, Rectores Societatis Jesu et alios quoscunque habentes privilegium reconciliandi coemeteria et benedicendi similia, dicto privilegio uti non posse, nisi in his rebus, in quibus non adhibetur sacra unctio et pro servitio dumtaxat Monasteriorum et Ecclesiarum propriarum. n. 942 die 13. Mart. 1632.

Habens indultum utendi Mitra et Baculo cum facultate benedicendi Crucis, Imagines, Campanas, Vasa et alia ad divinum cultum necessaria, non potest consecrare Altaria et Calices et Similia, in quibus requiritur sacra unctio. n. n. 1348 die 11. Nov. 1641.

Ad dubium Praepositi Canonicorum regul. s. Augustini Monasterii Inderstorfensis: an verbum *Benedicere* contentum in Indulto sibi concesso per Urbanum VIII. idem importet, quam consecrare? S. C. resp.: Indultum benedicendi non comprehendere consecrationem. n. 2600 die 3. Sept. 1672.

Abbas s. Michaelis de Coecian Ord. s. Benedicti Nullius Provinciae cum jurisdictione quasi episcopali non potest sine speciali indulto consecrare seu benedicere calices, saxa altaris et alia solita ornamenta. n. 2650 die 12. Aug. 1673.

55) Viae Crucis.

Vd.: *Via crucis*; *Indulg. viae crucis.*

BENEDITIONALE

(*Approbatio.*)

Vd. *Libri Ecclesiastici.*

BENEDICTUS.

a) Intortitia ad Bened.

Vd.: *Intortitia ad elevationem* etc.; decr. n. 4064.

b) In Sepultura.

Vd.: *Sepultura* (ritus).

BENED., QUI VENIT ETC.

(*Initium.*)

In missa solemnibus *Benedictus* etc. cantari debet post elevationem. (Caer. Ep. Lib. II. c. VIII. n. 71.) n. 1454 ad 1. die 13. Junii 1643.

Ad dubium: Ubi cantus Chori non producitur usque ad elevationem Hostiae: *Benedictus qui venit* etc. cantari debet post elevationem, an immediate post primum *Hosanna in Excelsis*? S. C. resp.: „Cantari debet post elevationem“. n. 4669 ad 33. die 12. Novbr. 1831.

S. BENEDICTUS ABB.

Vd. *Breviar. Benedict.*; *Moniales.*; *Missae in aliena Eccles.* (decr. n. 4154.)

Tempore Adventus et Quadragesimae non potest semel in hebdomada vel mense fieri Officium de s. Benedicto. n. 3222 ad 1. die 10. Junii 1690.

Si in fer. 3. (qua die ex privil. Benedictini recitari possunt Off. de s. Benedicto) cadat Vigilia, et caeteri dies sunt impediti festo dupl. vel semid. per totam hebdomadam, non potest dicta fer. 3. fieri Off. de s. Benedicto. Ut *supra ad 2.* et n. 3428 ad 1 die 27. Apr. 1697. n. 3503 ad 2 die 7. Febr. 1699.

Si cadat Festum s. Benedicti in hebdomadam s. et propterea debet transferri post Pascha, Benedictini non possunt celebrare hoc festum una cum octava. Ut *supra ad 1.*

Si festa B. M. V. Annuntiationis, s. Joseph et s. Benedicti transferuntur

post Pascha, *Benedictini* primo recitare debeant de s. suo Patriarcha, cum hoc sit 1., caetera vero 2. cl.? S. C. resp. De s. Benedicto 1. cl. Ut *supra ad 2.*

Si festum s. Benedicti transferatur post Pascha, *Indulgentiae* concessae non transferuntur juxta resoluta de 30. Sept. 1679. Ut *supra ad 3.*

Ad dubium: an Benedictini in Germania praeter supra dictum festum s. Bened. cum octava, possint aliud festum ejusdem Sancti cum octava, ut ad 11. Julii quotannis soliti fuerunt, recitare? S. C. resp.: Si festum s. Bened. consueverit recitari ex concessione apost. die 11. Julii et non die 21. Mart., et in Calendario rom.: *Negative.* Ut *supra ad 4.*

Translatis festis s. Benedicti et s. Josephi primo ponendum esse apud Monachos s. Benedicti festum s. Benedicti tamquam fundatoris Ordinis, etiamsi festum s. Josephi esset dupl. 1. cl. pro Regularibus utriusque sexus in Regnis Hispaniarum. n. 3702 die 23. Aug. 1704.

Ad dubium: an Officium s. Benedicti recitari possit die Sabbati, si tota hebdomada sit impedita et tunc debeat omitti Off. B. V. M. in Sabbato? S. C. resp.: *Posse.* n. 3428 ad 2 die 27. Apr. 1697; n. 3503 ad 3 die Febr. 1699.

Officium s. Benedicti ex indulto ap. in qualibet hebdomada fer. 3 et semel in mense recitandum praecedere non debet translatis sive dupl. sive semid. n. 3503. ad 1 die 7. Febr. 1699.

Hebdomadarii Ecclesiae S. Petri Receptulli adjacentis, atque sitae infra septa Monasterii S. Mariae ejusdem loci, Ordinis S. Benedicti curam animarum de commissione Abbatis Ecclesiae S. Mariae praedictae cum omnimodo eidem Abbati subjectione in eadem Ecclesia S. Petri, prout asseritur, exercentes, humiliter S. R. C.

supplicaverunt pro declaratione infrascripti Dubii:

An ipsis et aliis Presbyteris in dicta Ecclesia S. Petri Receptulli residentibus licitum sit Officia Sanctorum Ordinis S. Benedicti recitare, vel saltem persolvere teneantur officium cum octava S. Benedicti Patroni Monasterii praedicti S. Mariae?

Et S. R. C. respondit: „*Negative,* nisi ex speciali concessione“. Et ita declaravit. 3578. Die 26. Februarii 1701.

Anno subsequenti 1728 Festum S. Benedicti occurrit in Dominica Palmarum, consequenter debet transferri usque post octavam Paschatis; sed quia Festum in Dioecesi Fulden, habet adnexam solemnitate Fori, et Dominica Palmarum fit Processio tam a Clero Saeculari quam Regulari, atque a populo totius Civitatis ad Montem Marianum, ubi habetur concio de Passione Domini, et fit benedictio Palmarum; post has et alias caeremonias tempus ante meridiem effluxit, et nulla solemnitas de S. Benedicto habita fuit. Hinc quaeritur: An dictum Festum S. Benedicti cum solemnitate Fori, Octava, et Indulgentiis transferri liceat in diem 6. Aprilis?

Et S. eadem R. C. respondendum censuit:

„Festum S. Benedicti, quando incidit in aliquam diem majoris Hebdomadae, juxta novissimum Breve S. D. Benedicti P. XIII. concessum pro toto Ordine Benedictino, transferendum esse ad feriam III. post Dominicam in Albis; quo casu dicta feria tertia habenda est, ac si esset dies propria S. Patriarchae, translato quocumque alio Officio, etiam aequalis ritus in ea occurrente“. N. 3973. Die 6. Sept. 1727.

Benedictinis Einsidl. resp. S. C.: Commemoratio sol. s. P. Benedicti in mense Julii non est celebranda cum